



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmeſtadi[i], 1671

Cap. XIV. Vltimum excidium Iudaeorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

Tunc Alexander Papa, tertio Adriani anno, martyrio coronatur, & vii. ab Vrbe miliario, ubi decollatus est, sepelitur, sicut ejus gesta narrant.

Invenimus autem in retractatione *Chronicarum Eusebii*, quam *Beda* breviandi gratia ordinat prudenter & succincte, quod præfatus Pontifex non sub Adriano passus est, sed sub Trajano; quod ex hoc facile potest probari, quod *Adrianus* per *Quadratum*, libris de nostra religione compositis instructus, præcepit per Epistolam, Christianos sine objectione criminum non puniri,

Hic denique *Adrianus* Iudæos, secundo rebelles, ultima cæde domat, etiam eis ablata licentia introeundi in Hierosolymam, quam ipse in optimam murorum cœperat extructionem, & *Æliam* vocari de suo nomine instituit. Hic *Antinoe* amasio suo annuos agones instituit celebrari, & cœpit appellare *Antinoias*, & civitatem condit, ejus nominis *Antinoon*, & templum ei dicavit, sacerdotes & Prophetas instituit. Interea *Alexandro* finito per martyrium, *Sixtus* subrogatur Romæ. *Alexandriæ* vero *Primo* defuncto, *Iustus* Episcopus eligitor.